

vendicioni exponere permittere et permitti facere debeatis et teneamini; nec ipsos contra formam presentis nostre annuentie in personis, rebusque et bonis eorum quibuscunque propter vendicionem huiusmodi salium impedire, turbare, molestare, seu quouis modo dampnificare presumatis gracie nostre sub obtentu. Presentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Bude in festo Beate Margarethe Virginis. Anno Domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo primo. Regnorum nostrorum Hungarie etc. Anno vigesimo quarto, Bohemie vero tredecimo.

(*Sigillum Regium impressum*)

In dextro inferiori margine:

Ad Relationem Urbani Electi Jauriensis, Thesaurarii.

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 52.

CL.

Anno 1484. die 30. Augusti. Budae.

Mathias Rex priora sua decreta de decimis Episcopatus Zagrabiensis hoc novo confirmat.

Commissio propria Domini Regis.

Mathias Dei gracia Rex Hungarie, Bohemie etc. Fideli nostro Magnifico Mathie Gereb de Wyngarth, Regnorum nostrorum Dalmacie, Croacie et Sclauonie Bano, eiusque Vicebanis prefati Regni nostri Sclauonie salutem et gratiam. Etsi superioribus annis factum dicacionis et solucionis decimarum, qualiter videlicet regnicole nostri Sclauonie de frugibus, bladis, vinis, milliis, hedis, porcis et aliis rebus decimari solitis, Reuerendo domino Osualdo Episcopo Ecclesie Zagrabiensis successoribusque suis decimas annuatim soluere deberent, visis eotunc et examinatis antiquis iuribus et priuilegiis prefate Ecclesie Zagrabiensis, per diuos Reges Hungarie eidem Ecclesie exinde concessis, vna cum Prelatis et Baronibus nostris, ad hoc specialiter conuocatis, debito modo limitauerimus et sententialiter concluderimus, provt in litteris nostris adiudicatoriis, exinde confectis, late continetur; oblatis tamen fuerant certi articuli per ipsos regnicolas nostros Maiestati nostre, quibus querebantur, ipsum dominum Episcopum, sed et decimatores eiusdem, huiusmodi limitationes et decisiones nostras excessisse et ad ampliorem solucionem faciendam eos coarctare, propterea supplicabant nobis, exinde